

insuavis, ferè nullus. Unum Altaris epulum, omne delectamentum in se habet, omnis saporis suavitate, verè mellissimum donum, esca dulcissima præ melle, præ mellito favo, à qua in homines distillatur, & fluit omnis gratiæ, omnium virtutum, omnium supernaturalium donorum, & æternæ gloriæ dulcedo pro suscipientium dispositione & captu. Ut manna (inquit Cyprianus ser. de Cœna Domini) sic & hic panis omne delectamentum in se habet, virtute mirifica omnibus, qui dignè & devotè sumunt, secundum suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates.

Cypri

Pl. 33. 9.

1. Petri. 2. 3. Deut. 32. Eucharistia non lambatur, sed sugatur. S. Cypri.

Eucharistia dulcedo non minuitur, sed augetur memoria Dominici passionis. Steph. S. Cypri.

Igitur, o fortunatissimi Ecclesiæ alumni, Gustate & videte, quàm suavis est Dominus. Pl. 33. 9. Sicut modò genitri infantes rationale sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescat in salutè si tamen gustatis quàm dulcis est Dominus. 1. Petri 2. 3. Sicut infantes mellita sugentes nutritis gratiæ ubera. Sugite mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Non fat sit perfunctoriè gustare, sed videre necesse est; non lambere, sed sugere. Audite Cyprianum in eo de Cœna Domini sermone. Hi, qui verbo tenus, corde ficti, & mente aridi sacris interfunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliquà charitatis dulcedine, nec Spiritus sancti pinguedine vegetantur.

2196 Si dicas, hanc Eucharistiæ dulcedinem omninò imminui amarissima passionis Dominici memoria, quæ in ea recolitur; imò suaviorem reddi autumaverim. Ut enim eleganter Stephanus apud Tilmannum in Allegoriis ad c. 31. Genes. Inter dulcia nihil dulcius memoriæ faucibus insluit, quàm veterum recordatio passionum. Sed præstat audire eundem Cyprianum ibidem. Vide quomodo his, qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur. Non illos imbres procellose tempestates deponunt, ros matutinus est de caelestibus stilans, & quasi unctio spiritus mentem delinens.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De magna Dei Genitrice. SECTIO VIII.

Deipara avidissime expetit & procurat omnium salutem. dulcissimus ejus spiritus, dulcissima hereditas dulcissimi Jesu Mater; per quam ad nos omnis gratiæ, & gloriæ dulcedo. Ubi nonnulla, de Mariana immunitate.

2197 O Uæ de Christo Domino dicta promissimus, dicenda similiter, sunt de Virgine ejus Matre. Etenim ad Christum spectat in primis, omnibus atque singulis prospicere, eorumque incumbere salutem: deinde verò ad Mariam, ut quæ Filio propinquo-rem. Unde in primis statuas

§. I.

Sedulam Virgini Matri curam esse de omnium salute.

Clarè Germanus Patriarcha Constantinop. Hom. de Zona Deiparæ: Quis post tuum Filium curam gerit generis humani sicut tu?

German. Constant.

Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Consonant alii Doctores Virgini additissimi. Idiota de contempl. Virg. in Prologo: Beatissima Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium advocata, & patrona, & cura illi est de omnibus. Concilium Basileense Sess. 45. Maria ad nos respicit, omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in utero gestavit Salvatorem. Richardus Victorinus in Cantic. cap. 26. Omnium salutem desideravit, quæsit, obtinuit, imò salus omnium per ipsam facta est. Eiusdem coloris obvia extant innumera alia testimonia.

2198 Nemo ignorat, oculos esse pervigilis curæ, & attentissimæ providentiæ symbolum. Hinc Egyptii Deum pingebant quasi oculum baculo innixum: ut qui omnia videret, regeret sollicità curâ. De quo Macrobi. lib. 1. cap. 21. & Plutarchus lib. de Iside & Osiride. Hinc etiam Tertull. lib. de Trinit. Deum totum oculum dixit, quia totus ipse indefinenter omnibus, & singulis prospicit, omnium curam habet. Ita similiter Deipara Virgo. Quæ ob rem nuncupatur à S. Epiphani. serm. de ejus laudibus. Virgo plurimum nominum & multocula effecta. Et à S. Ephrem. in Orat. ad Deipara: ποσὶ ὀφθαλμοῦ, id est, oculatissima, multis oculis inspicita. Guilielmus ad cap. 7. S. Ephr. Cant. vers. 4. apud nostrum Delrio; Mariam similem autumat Cherubinis Ezechielis 1. 18. qui in circuitu, & intus pleni erant oculis. Plena erat oculis, & utique multò plenior, quàm quodlibet illorum quatuor animalium. Plena, inquam, erat oculis providentiæ sine intermissione. Sic tota oculis, sic oculatissima, vigilantissima de omnium salute, etiam dum inter mortales degeret, à Guilielmo prædicatur. Numquid quia deificata, id eò nostræ salutis oblitia es? rogabat S. Petrus Damian. serm. de Nativ. Virginis. Neutiquam certè: imò verò oculata magis, quia cum omnia omnium hominum opera, consilia, & cogitationes in Patria videat, ut gravissimi autumant Theologi, major quidem illi omnium, & singulorum, sollicitaque magis cura. Unde S. Germanus serm. de Assumpt. Spiritus tuus, o Maria, vivit in æternum, omnia observas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit. Quò spectabat David Psalm. 44. 10. cum de Assumpta Virgine in caelos canebat: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Omnis gloria ejus filia Regis ab intus in fimbriis aureis. Hieronymus vertit: Astitit in diademate aureo, coronata ut omnium Regina. Pro in fimbriis aureis, multi legunt, in vestibus ocellatis, oculatis, oculatis, tota circumquaque oculis plena. Ut vigilantissima ejus in omnes, & singulos cura elegantissimo symbolo exprimitur. Sic oculatissima ad Filii sui dexteram astat, seu erecta stat, ut ex Græco legitur, ut paratum nobis à Virgine patrocinium designaret, sicut & erat Stephano Christus, quando visus est ab illo stans. Vel etiam, quem admodum Jesus stabat quasi advocatus, stabat quasi sollicitus, ut loquitur Ambr. Epist. 82. Sic Deipara & plena oculis, & stans describitur, quasi advocata omnium, quasi de omnium salute sollicita. Stat ut Regina; nam sicut est omnium Regina (uti aiebat Idiota supra) sic etiam omnium advocata, & patrona, & cura illi est de omnibus.

2199 Hanc planè sollicitam ejus curam ab-

undè satis Virgo ipsa ostendit, dum apud Siracidem nostrum contenta voce proclamatur: Transite ad me omnes, &c. Omnes vocat, quia cura illi est de omnibus, omnes ad se trahere cupit pro innata sibi misericordia, quæ omnium salutem desiderat. Ad se omnes invitat, ut à generationibus ejus adimpleantur, satientur, ditentur; nempe ut per illam omnia supernaturalia dona, omnem gratiam, omnes virtutes, omnem gloriam adipiscantur; omnia enim hæc & singula bona nobis ipsa sollicitè & indefessè procurat, acquirit, imperat; & in ea sunt tamquam in radice, cum Mater Christi sit qui totus boni est origo. Ut enim S. Petrus Damian. in ser. de Annuntiatione. Per ipsam, cum ipsa, & in ipsa, totum faciendum decernitur, ut sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil resectum sit. Quo etiam modo multi alii passim loquuntur Patres. Imitatus est Siracides Salomonem, apud quem Deipara sic alloquens inducitur: O viri, ad vos clamabo: & vox mea ad filios hominum. Hebraicè de futuro: Ad vos clamabo. Lxx. Vos, o homines, advoco. Omnes utriusque sexus, & conditionis homines vocat, invitat: ad omnes clamat, vociferatur: Mecum sum divitiæ & gloria, opes superbae & justitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & gemma mea argenteo electo. Quod ferè iisdem verbis dixit eadem Virgo apud Ecclesiasticum: Transite ad me omnes, & à generationibus meis adimplemini. Vel ex Græco: A fructibus, provenientibus, germinibus, seu gemminibus meis lepletamini. De omnium bonorum spiritualium, de omnis gratiæ, & gloriæ divitiis, opibus, fructibus, provenientibus utrobique sermo est: ad quæ universos homines Maria invitat; nam in ejus potestate & arbitrio cum omnia hæc stant, cuncta distribuuntur. Audiendus hic S. Damascenus Orat. 2. de Mariæ Assumptione, quam sic dicentem inducit: Ego sanctorum finis perennis. Ego demonum prostratio. Ego iis, qui ad me confugium, civitas refugii. Accedite, qui fide minime ambigua præditi estis. Sitientes venite ad aquas. Qui morborum sanitatem, vitiosorum animi affectionum repulsionem, peccatorum oblivationem, regni caelorum quietem sinit, cum fide ad me veniat, gratiæque donum magnoperè efficax & utile hauriat.

Omnes ad se vocat Deipara, ut omnia gratia dona accipiant.

S. Damian.

Prov. 8.

S. Damasc.

à suæ primæ formationis momento dulcissima exiit Deo plena gratiæ dulcedo, sine ulla peccati amaritudine, sine felle Draconis, sine culpa originis, quæ acerbissimam amaritudinem animis immittit, sine vetiti pomi amara esca, quæ guttula mellis fuit versa in mare felle.

2201 Mellitus favus Maria exiit semper. Cupis nosse à quo iste favus fuerit elaboratus? Dicam, ut inde originariam dulcissimam favi degustes dulcedinem. Pro me loquitur mellissimus Abbas ser. 2. de Adventu Domini, ubi Verbum divinum compellat apem, quæ in Nazareth advolavit. Apis est, quæ fascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde & ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit. Advolavit, ut humanam sibi naturam indueret in utero Virgineo; sed advolaverat prius, ut tanquam apis studiosè elaboraret futuram Genitricem suam, quasi dulcissimum favum in Annæ utero. Nam Deiparam in Nazareth fuisse conceptam, multorum est estimatio, ut habes supra 2. p. sec. 10. §. 2. Rem totam illustremus. Primò, Auctore Plinio lib. 11. c. 11. permunda apis cum sit ex omnium suffragio, alvi purgamenta longè ab alveo pellit. Mira munditia: amoluntur omnia è medio; nullegue inter opera spurcicia jacent. Dei Filius totius munditiæ & sanctitatis origo, futurus Virginis Filius alvum Annæ, quasi alveum, expurgatissimum reddidit, quomodo probavimus loco proximè memorato. Propertè S. Damascenus Orat. 1. de Nat. Mariæ sic exclamat: O præclaram Annæ vulvam! o beatum ventrem! Secundò, mundato ab apibus alveo, primum favos construunt (ait Plin. c. 5.) ceram fugunt, id est, domos cellasque faciunt, ceram ex floribus. Corpus Deiparæ primum efformatum à divino Verbo studiosè ac sedulo, uti favus, uti domus, uti cella Marianæ animæ, uti etiam corporandi ipsius Verbi per novem menses domicilium: non ex floribus, sed florido semine & sanguine Parentum immaculato, benedicto, sanctificato affabrè compactum, ut eo loco relato diximus, ex SS. Patribus.

Favus mellis Virgo elaboratus in Anna alveo, ut in alveo. S. Bern.

Probatur Marianæ immunitas sub apibus mellea munditia. Plin.

S. Damasc.

Plin. Mellita corporis Marianæ cella.

Deipara anima ros de celo dulcissimus, purissimus.

S. Anselm.

S. Greg. Nicomed.

§. II.

Deipara, vel à sua prima formatione, favus mellis à Deo elaboratus, absque originali culpa felle.

2200 R Urfus, dulcissimus Mariæ spiritus, dulcissima ejus hereditas: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum. Quid hoc? Dionysius Carthusianus artic. 25. sic explicat, & confirmat Hugo Carenis, & Rodolphus Ardens: Spiritus meus, rationalis scilicet anima, seu mens mea est super mel dulcis; imò omni purè creaturæ corporali, & spiritali suavior, utpote melior, amabilior, amorosior, benignior, jucundior. Et hereditas mea, id est, gratia & gloria, quam ministrantibus mihi procuro, & etiam quam nunc possideo, dulcis est super mel & favum. Certè dulcissima ubique Maria, semper utique dulcissima, nullo unquam tempore absque jucundissima dulcedine. Vel

Hugo.

S. Ambr.

Idiota;

undè